

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. II. Lepores vitae pertaesi.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

APPENDIX  
FABVLARVM

A

V. C.

MARQVARDO GVDIO

E MANVSRIPTO DIVIONENSI

DESCRIPTARVM.

FAB. I.

*Miluius aegrotans.*

Multos quum menses aegrotasset Miluius,  
Nec iam videret esse vitae spem suae,  
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,  
Et pro salute vota faceret maxima.  
Faciam, inquit, fili; sed opem ne non impetrem,  
Vehementer vereor; tu, qui delubra omnia  
Vastando, cuncta polluisti altaria,  
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

FAB. II.

*Lepores vitae pertaesi.*

Qui sustinere non potest suum malum,  
Alios inspiciat, et discat tolerantiam,  
Aliquando in siluis strepitu magno conati  
Lepores clamant, se propter assiduos metus  
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum  
Venerunt, miseri quo se praecipites darent,  
Aduentu quorum postquam ranae territae  
Virides in algas misere fugientes ruunt:  
Heu, inquit vnus, sunt et alii, quos timor  
Vexat malorum, Ferte vitam vt ceteri,

FAB.

## FAB. III.

*Vulpes et Iupiter.*

**N**aturam turpem nulla fortuna obtegit.  
 Humanam in speciem quum vertisset Iupiter  
 Vulpem, regali pellex vt sedet throno,  
 Scarabeum vidit prorepentem ex angulo;  
 Notamque ad praedam celeri profiluit gradu,  
 Superi risere, magnus erubuit pater,  
 Repudiatam turpemque pellicem expulit;  
 His prosequutus: Viue, quo digna es modo,  
 Quae nostris vti meritis digne non potes.

## FAB. IV.

*Leo et Mus.*

**N**e quis minores laedat, fabula haec monet.  
 Leone in silua dormiente, rustici  
 Luxuriabant mures, et vnus ex iis  
 Super cubantem casu quodam transit,  
 Expergefactus miserum Leo celeri impetu  
 Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,  
 Crimen fatetur, peccatum imprudentiae,  
 Hoc rex vlcisci gloriosum non putans,  
 Ignouit et dimisit, Post paucos dies  
 Leo dum vagatur noctu, in foueam decidit.  
 Captum vt se agnouit laqueis, voce maxima  
 Rugire coepit; cuius immanem ad sonum  
 Mus subito accurrens. Non est quod timeas, ait;  
 Beneficio magno gratiam reddam parem.  
 Mox omnes artus, artuum et ligamina  
 Lustrare coepit, cognitosque dentibus  
 Neros rodendo laxat ingenia artuum,  
 Sic captum mus leonem siluis reddidit.

